significare curaret. Circa quod exequendum et si multi
de negligentia se non poterunt excusare, quidam tamen
multa de huiusmodi conscripserunt. Nos autem huiusmodi
scripta tradidimus karissimo nostro fratri Geraldo Lemovicensi,
tunc priori provinciali provincie, de cuius industria in huius
multa gerebamus fiducia, rogantes et iniungentes
eidem, quatenus perlectis et examinatis singulis de hiis que
laudabiliora reperiret, libellum aliquem ederet, quod et
fecit, prout in sequentibus continetur. Cum autem multis opus
illud legentibus placuisset, et dignum approbatione
iudicarent, nos tandem de approbatione multorum et
discretorum ac bonorum fratrum illud inter fratres duximus
publicandum. Nolumus tamen quod extra ordinem tradatur
sine nostra licentia speciali. Vos igitur fratres karissimi predicta
legentes advertite, quanta cura fuerit providentie superne
de ordine et hoc attendentes confirmamini magis ac
magis ipsius amore. Consulimus autem et rogamus ut qui
negligentes in scribendo nobis de supradictis fuerunt,
negligentiam corrigant diligenter. Illi vero apud quos
aliqua similia contingeret in posterum nobis vel magistro qui
fuerit pro tempore scribere non obmittant, ut ad utilitatem
ordinis hec preter predictum opus scribantur, vel in locis de-
bitis in ipso opere inserantur.

Prologus.

Libellus iste qui vitas fratrum intitulari potest,
conputatus est de diversis narrationibus, quas
fratres multi deum timentes et fide digni conscrip-
serunt fratri Huberto magistro ordinis. Habet autem quinque
partes. Prima continet de pertinentibus ad inchoationem
ordinis. Secunda multa de beato Dominico que in legenda ipsius
non habentur. Tercia de magistro Iordane. Quarta de
progressu fratrum. Quinta de egressu fratrum de hoc mundo.